

statim fidei suæ fructu gaudet, et exultat. Fiducia enim, quæ in Deum potius quam in nostram industriam habetur, a Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

Notum est miraculum illud, quod Saluator noster, in refectione devotarum turbarum illarum, ipsum per tres dies et noctes, sine ullo cibo indefesse sequentium, patravit. Porro Evangelista, *Luc.*, ix, 12, ait : *Loquebatur illis de regno Dei. Dies autem cæperat declinare; et accedentes duodecim, dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, divertant et inveniant esens, quia hic*

in loco deserto sumus. Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces. Erant autem fere viri quinque millia. Mirum vero non erat, quod Christus erga hæc devotas turbas adeo se beneficiis exhiberet; siquidem hæc turbæ Christo devote inservierant, in ejus sequela perseveraverant, prædicationem ejus assidue auscullarant, perque lassitudinem, vigiliis et famem, sese erga illum devotas esse probaverant. Ac proinde Christus ostendere voluit, eas ipsisque similes paterna sua providentia nequaquam fore defraudandas.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XVIII, VERS. 23

23. Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.

26. Procidentem autem servus ille, orabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes.

29. Et procidentem servus ejus, rogabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde; et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remisistis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris.

VERSUS 23.

Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

1. — Christus præsentem parabolam, prout Lyranus advertit, ideo adduxit, ut S. Petro datam, immediate ante, de humanarum injuriarum indulgentia et remissione doctrinam confirmaret;

quando interroganti se Apostolo responderat : *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*, in presenti igitur discursu instituit a minori ad majus; quasi diceret, inquit Lyranus : « Magis debitores estis » Dei, et plus offendistis eum, quam homo possit « offendere proximum, quia tanta est offensa, » quantum ille, qui offenditur. » Cum igitur Deus sit meriti et dignitatis infinitæ, proportionaliter etiam culpa contra eum admissa, gravitatem habe-

bit infinitam; hoc tamen non obstante, Deus semper promptissimus est, modo vere nos poeniteat omne delictum indulgere; quanto igitur justius, utidem et nos proximo nobis injurianti præstemus : « Ergo multo fortius similiter debemus peccanti » « in nos facere. »

2. — Dionysius Carthusianus mystice per hunc regem, Christum intelligens, dicit : « Qui licet in » die extremi judicii, nullum peccatum relinquat » « inultum, nec tempus poenitentiae tribuat, tamen » « quotidie ponit rationem cum fidelibus per vicarios » « suos Prælatos, per Scripturarum admonitiones. » Hugo Cardinalis in hoc eodem judicio, quod in præsentî vita, examinatores in majori numero ponit, dum ait : « In præsentî ponit rationem » « Dominus cum servis suis per Scripturas, per » « creaturas, per doctores, per confessores, per illu- » « minationem propriæ conscientiæ; » demum vero per hæc verba, Prælatos merito extimulandos esse dicit, ne animarum sibi commissarum studiosam negligant inquisitionem, juxta illum Sapientis textum, *Prov.*, xxvii, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

3. — Venerabilis Beda ait : « Quis melius quam » « Redemptor noster intelligitur, de quo Psalmista, » « *Psal.* lxxi, 2 : *Deus judicium tuum regi da?* » S. Antonius Paduanus per hanc rationum redditionem interpretatur judicium, quod tam in hac quam in altera vita de nobis instituetur : « Rationem » « ponit, qui merita uniuscujusque examinat in hoc » « mundo, quæ districtius trutinantur in futuro. » Salmeron hanc, quæ quoadusque vivimus a nobis exigitur, rationum redditionem individualius considerans, scribit : « Dicitur cœpisse rationem ponere » « cum servis suis, ab initio inspirando beneficia » « accepta, vel ingratum animum et scelera com- » « missa increpando, sive huic inspirationi det locum » « tribulatio cœlestis immissa, sive peculiare aliquod » « et insigne beneficium. »

4. — S. Remigius, a S. Thoma citatus, per hos servos, omnes homines intelligit : « Designantur » « omnes homines, quos ad laudandum se creavit, » « quibusque legem naturæ dedit; cum quibus » « rationem ponit, quando vitam, et mores, et » « actus singulorum discutit, ut unicuique, secun- » « dum quod gessit, tribuat. »

5. — S. Thomas per hos servos, Prælatos Ecclesiasticos, quibus animarum cura demandata est, intelligit, juxta illud *Luce*, xi, 41 : *Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam* : « Quid est ergo rationem ponere de commissis, » « nisi quod obligant se, ut rationem reddant? » « *Hebr.*, xiii, 17 : *Ipsi pervigilant quasi rationem » « pro animabus vestris reddaturi.* »

6. — Ad hoc, ut homo, quoadusque vivit in perditionis barathrum non incidat, nullum est securius remedium, quam si examen rigorosissi-

mum, cuius tempus et horam quidem nescimus, non tamen qualitatem, quia « judex est venturus, » « cuncta strictè discussurus, » quod de anima instituendum erit, ob oculos habeat. Dicitur cum servis suis, quia qui majori lumine et notitia Dei, tanquam servi illius illuminati sunt, majori cum severitate examinantur; nemo enim est, qui nesciat illa S. Gregorii verba : « Quo plus augen- » « tur dona, rationes etiam crescant donorum; » et ideo Deus apud Ezechielem, ix, 6, inquit : *A sanctuario meo incipite.*

7. — Finis primarius hujus parabolæ, ut Theophylactus notat, eo præcipue respicit, ut necessaria injuriarum a proximis nobis illatarum remissio, tanto lenacius fidelium cordibus imprimatur : « Mens parabolæ, » inquit, « ut veniam demus » « conservis in nos delinquentibus; præsertim si » « illi veniam ante nos procidentem petant. »

Additiones.

a. — *Assimilatum est regnum Cælorum homini regi, etc.* Christus Dominus communis Magister per similitudinem parabolarum propositionem, communi se doctrinæ, ac methodo accomodat : « Quia, » ut ait D. Hieronymus, « Palæstinorum, Syriorumque » « secutus est morem, qui ad omnem sermonem » « parabolis jungunt, ut quod per simplex præcep- » « tum teneri ab auditoribus non potest, per simi- » « litudinem et exempla teneatur, atque cordibus » « infigitur. » Præsentî autem parabola, rem valde necessariam nobis inculcare voluit Dominus, Deum nempe nobis peccata nostra non esse remissurum, nisi et nos injurias fratris remittamus. S. Augustinus in quadam homilia ita scribit : « Considerate, » « fratres mei. Hoc Dominus Jesus Christus orare » « docuit discipulos suos, illos primos magnos Apo- » « stolos suos, arietes nostros : *Dimitte nobis debita » « nostra, sicut et nos dimittimus.* Si ergo peccatis » « suis dimittendis arietes orant, agni quid debent » « facere, de quibus dictum est : *Afferre Domino » « filios arietum?* » Hoc igitur jacto fundamento, quod videlicet unicuique necessitas incumbat hanc recitandi orationem, sequentem subjungit doctrinam : « Induxit nobiscum Deus pactum et placitum » « firmumque chirographum, ut dicamus : *Sicut et » « nos dimittimus debitoribus nostris.* Si hoc quod est » « posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit, illud » « quod prius est, inaniter dicit. » Idem quoque Sanctus in alio sermone unicuique hanc orationem recitans sequens tradit monitum, dicens : « Si » « debitor es, gratulare te habere debitorem, in quo » « facias, quod fiat in te. Audi me et dicente te, quia » « vel de paucis prodis, qui possunt veraciter orare, » « orationem Dominicam veraciter dicere : Domine, » « dimitte mihi, sicut et ego dimitto. Non fallaciter, » « non fecte, ex corde vero fac, ut in te verum fiat; » « si enim qui te lesi t, qui in te peccavit, petit a te

« veniam et ignoscis, jam potes securus dicere : « *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* » S. Bernardinus Senensis dama recensens quae illi obveniunt, qui mortale erga inimicos odium conservans, Dominicum recitare praesumit orationem, inquit : « Deum contra « se provocare videtur, cum dicit : Dimitte mihi, « sicut ego dimitto aliis. Etiam Augustinus ait : « Non dimittis injuriam, quae tibi facta est? Non « orationem pro te facis, sed maledictionem super « te inducis, cum dicit : *Dimitte nobis debita nostra, « sicut et nos dimittimus.* »

b. — Christus Dominus per hanc parabolam principaliter indicare voluit duo, scilicet, articulum fidei nostrae, remissionem nempe peccatorum et teneri nos illatas a proximo injurias remittere. Quantum vero ad primum, certum est quod dolor contritionis excellentissimus sit, qui tamen ut validus sit, non ex timore servili, sed ex amore Dei procedat oportet, fundatus in spe remissionis peccatorum. « Sunt quos peccasse poenitet, » ait S. Augustinus, « propter praesentia supplicia; displicent enim latroni peccata, quando operantur « poenam; desit vindicta, revertitur ad crimina. Ista « est poenitentia non ex fide procedens, nec est « charitatis munita, sed sterilis et sine misericordia. Haec non purgat conscientiam, non lavat « crimina, in hac nulla est spes veniae, dicente « apostolo : *Qua secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur, saeculi autem « tristitia mortem operatur.* » S. Chrysologus, *Serm. xiv*, sic scribit : « Ama charitas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimini quid pejus? Et tamen Petrus amore solo valet hoc « delere, probante Domino cum dicit : *Petre, amas me?* » Et tandem paulo post concludit inquit : « Ama ergo, homo, Deum et ama totus, ut possis « omnia sine labore vincere peccata. Teneris militie, delicati conflictus est amore solo de cunctis « criminibus reportare victoriam. »

Teste S. Luca, vii, 47, post Christi in Simonis Pharisei aedes ingressum, infamis subintravit peccatrix, non tam obsessa septem demonis, quam septem ad collum usque immersa capitalibus vitiis. Pessima intravit, sanctissima exivit, quia nimirum dilexit multum. Unde Venerabilis Beda inquit : « Quid esse credimus dilectionem, nisi ignem? et « quid culpas nisi rubiginem? Unde nunc dicitur : « *Remittuntur et peccata multa, quia dilexit multum.* » Cui illud S. Augustini consonat assertum : « Charitas est mors criminum. »

Ad idem successive regnum duos Deus promovit humilis conditionis viros; alterum agasorem, opinionem alterum, Saul et David. Utrumque consecravit Samuel, quietum uterque sceptri Israelitici cepit possessionem, successuque temporis, ambo divinum prevaricati sunt mandatum; ille in pugna

Amaleitica, hic per adulterium et homicidium. Ad dimittit Samuel missus est, suam ei transgressionem exprobraturus; ad secundum Nathan : uterque suam agnovit noxam : *Peccavi*; nihilominus Saul terreno et caelesti fuit exutus regno, cum David e contra audire meruit : *Dominus transiit peccatum tuum.* Deus forsitan acceptor est personarum? Secundum hominem loquendum, Saul potius aliquam meruisse videtur excusationem, siquidem, ut protestabatur, inimicas servaverat uxuriam et regem vivum, ex motivo pietatis et compassionis. David autem in propria etiam virtute professionis, nullam penitus merebatur excusationem : *Filius mortis est vivus, et qui fecit hoc.* Differentiam queritis? Dicebat quidem reprobus ille : *Peccavi*; sed non ob illatam Deo offensam, non ex motivo divini amoris, sed propter damnum et infamiam publicam, ex metu amittendi regni; ideoque cum vix pronuntiasset *peccavi*, mox subjunxit : *Sed nunc honora me coram senioribus populi; porta queso peccatum meum.* David autem prout Psalmi ejus poenitentiales attestant, ferventissimos in corde suo elicit divini amoris actus, ex solo et puro supremae Majestatis offensae motivo : « Utrique reges David et Saul dixerunt : « *Peccavi,* » inquit Hugo Victorinus; « sed Saul « audivit : *Scitit Dominus regnum Israel a te hodie, « et tradidit illum proximo tuo meliori te;* David « autem : *Transiit Dominus peccatum tuum, et non « morieris,* quia confessio Saulis, qui in ore fuit, non fuit in corde; et humilitas, quae in ore David « extitit, in corde radicavit. » Cui et S. Petrus Damianus subscribens, ait : « Plane si Scripturae « series utrobique discutatur, copiosior Saul quam « David in poenitentiae verbis reperitur. Iste siquidem dantaxat dicit : *Peccavi Domino;* ille autem : « *Peccavi,* inquit, *quia pravariatus sum sermones Domini et verba tua, timens populum et obediens « voci eorum;* atque idipsum postmodo repetens « ait : *Peccavi.* » Haec igitur confessione subdit Sanctus, commotus Samuel, instantissime pro Saule clamavit *ad Dominum tota nocte;* sed irritè ceciderunt preces. « Quid est ergo, quod alterius « poenitentia pie suscepta, alterius autem subdistrictae severitatis est examine reprobata, nisi « quod ille scelus inobedientiae spiritu superbie « parvi pendens, nequaquam pleno corde poenituit; « hic autem pauca quidem protulit, sed ejus viscera « divini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo replerit? »

c. — Ille homo rex qui a servis suis rationem exigit, non dubium, quin ille sit, qui, ut Joannes in *Apocalypsi*, xix, 16, habet in fenore suo scriptum : *Rex regum et Dominus dominantium.* Hujus autem Regis servi, nos homines sumus, in quos hoc servitutis nomen magis quam in ipsos Angelos quadrat; illi namque jure creationis; nos vero, et creationis, et redemptionis, duplici titulo, ejus servi

sumus. Rationis vero exigenda tempus extremi judicii dies est, in quo omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. *II Cor.*, v, 10. Inter eos autem servos, a quibus ratio exigenda, oblatos esse dicit unus, qui debet habere decem millia talenta, quae efficiunt sex milliones aureorum. Quis vero est hic ingentis summae debitor? Certe quisquis vel unius tantum lethalis criminis reus est : « Debitum enim, » ait Tertullianus, « in Scriptura delicti signum est. » S. Augustinus subdit : « Et debita peccata intelliguntur. » Nam debitum contrahitur, quoties peccatur; et ideo tanta auri summa optime congruit, ad delicti gravitatem exprimentandam, contra Dei Majestatem. Auget enim peccati gravitatem et personae offensae dignitas, et offendens villitas, et ipsis etiam offensionis causa, si illi praesertim contemptus adjunctus sit. Quod personae dignitatem, contra quam delinquitur, attingit, Deus est, cujus immensa est bonitas et majestas, ut si nobis omnium et hominum, et Angelorum vires essent, nunquam illum pro dignitate diligere possemus; cujus item ea sunt in genus humanum beneficia, ut si mille quotidie mortes, illius gratia oppeteremus, nullo modo illius in nos beneficentiae satisfacere possemus. Et hic adeo bonus et beneficentissimus! Heu grande nefas et injuria summa! Et quidem ab eo qui divinae Majestati collatus nihil est ex se; ratione vero peccati, minus adhuc quam nihil. Et hic vilissimus audeat contra Dominum levare calcaneum suum? Congruè igitur Dominus hanc tanti debiti summam, decem videlicet millium talentorum, apposuit, ut immensam atque infinitam peccati gravitatem ostenderet.

d. — Dominus, ut supra dicitur, quotidie ponit rationem cum servis suis, per internas inspirationes, per lectiones sacrarum Scripturarum. His igitur nos uti convenit tanquam veris instrumentis nostrae salutis. S. Augustinus, in Psalmo ix scribens, quasdam nobis et Caelo missas litteras esse dicit, quae nos ad virtuosè vivendum exhortantur, ut in futura vita aeternaliter vivere valeamus. Ait enim : « De illa civitate, unde peregrinamur, litterae « nobis venerunt; ipsae sunt Scripturae, quae nos « hortantur, ut bene vivamus. » Similiter S. Gregorius Regem glorie ad celum nos invitare volentem sacrosanctas nobis in terram Scripturas misisse inquit, utpote quae sunt veluti litterae quaedam ab ejus proprio pugno exaratae : « Imperator Coeli, « Dominus Angelorum et hominum, pro vita tua « epistolas suas transmittit et tu illas ardentè « legere negligis; quid est enim spera Scriptura, « nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad suam « creaturam? » Ac proinde sancti Dei homines sacram Scripturam, aliosque libros spirituales, hoc nomine, plurimum sunt venerati. S. Hieronymus de S. Marcella scribit : « Divinarum Scripturarum

« ei ardor incredibilis; semper cantabat : *In corde « meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi;* et « illud de B. viro : *In lege Domini voluntas ejus et in « lege ejus meditabitur die ac nocte.* »

Imo juxta doctrinam S. Hieronymi, hi qui Scripturas sacras frequenter legunt, etiam in hac praesenti via beatorum nomine appellari merentur. Sicut enim is, qui in coelo est, consortio gaudet Angelorum, ipsique Altissimo praesentialiter assistit, ita certe, qui volumina sacra pervolvunt, beatis quod invadeant minime habere videntur, si S. Ephrem fidem adhibemus cujus haec sunt sequentia verba : « Gloriantur alii de Magnatum, principum- « que ac regum familiaritate et colloquio; at tu « coram Angelis Dei gloriose colloques et cum « Spiritu Sancto per sacras litteras confers. Nam « Spiritus Sanctus est qui loquitur per eas. » Et paulo post subjungit : « Quotiescumque per eas « Deum interpellas, toties tibi corpus sanctificatur « et anima, et spiritus. » Quotiescumque enim sacram Scripturam legimus, Deus nobiscum loquitur, suamque voluntatem manifestat et ad suam familiaritatem nos dignanter admittit. Unde S. Ambrosius inter orationem et lectionem spirituales, hanc assignat differentiam, quod in illa nos cum Deo loquamur; in hac vero Altissimus se demittit et inclinat ad familiariter conversandum nobiscum. « Cur non illa tempora, » inquit S. Doctor, « quibus ab Ecclesiae vacas, lectioni impendas? « Cur non Christum alloquaris? Christum audias? « Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, « cum divina legimus oracula. »

e. — Certum est et de fide reddendam esse nobis omnium dictorum et factorum rationem, contra eos quiasserunt, quod Deus mundum non gubernat et omnia comparari posse ergastulo stultorum, nulla adhibita, dataque ratione. Est autem hoc adeo certum, reddendam esse rationem, ut in eum finem certum diem designaverit, licet tempus hoc certum Deus propter utilitatem nostram nobis ignotum esse voluerit. B. Laurentius Justinianus, super illa verba : *Dies Domini quemadmodum fer in nocte veniet*, I *Thes.*, v, 20, dicit : « Voluit hunc homini- « bus esse ignotum ut ad vigilandum singulas « induceret generationes. » S. Bernardinus multas adducit rationes ob quas utilis nobis est et expediens, ignorantia diei illius venturi; dicit enim : « Talis dies debet abscondi, sicut et mortis, ex « multiplici ratione. Primo, ut semper timeant. « Secundo, ut semper se preparent ad diem illum, « tanquam de proximo imminente. Tertio, ut « tam in hoc, quam in plerisque aliis ignorantibus « se noscant; quod quidem est perutile ad super- « bios comprimendam. Quarto, ut arcana divino- « rum judiciorum magis reverentur. Quinto, quia « non decet Dei secreta indignis et indispositis « revelare. » Sexta ratio haec est : Ignotum esse

voluit hunc diem, « ad excoecandos reprobos talium « temporum et ad hoc, ut tale iudicium Dei veniat « super eos subito et improvise. » Hac eadem de re S. Hilarius in hæc verba discurrit : « Cur autem « diei scientia abscondita sit, non in obscuro est ; « namque commonet nos irremissis, fide intentos « semper manere, securitatem cognitionis ademittit, « ut pendulæ expectationis incerto mens sollicita « festinans et adventus diem semper expectans, « semper expectandum speraret, curamque pervigili « lom incertum ipsum, non ambigendi tamen « temporis detineret. »

f. — Hoc plurimum inter alia vite nostræ congruit emendationi, si jugiter consideremus reddendam esse nobis exactam omnium rationem. Animam aliquam amore Dei ferventer ardere, ex nullo evidentiori indicio colligere possumus, quam si ignem, qui Iudeis præcessurus est nequaquam timeat, eo quod alius quidam ignis longe ferventior, id est, amoris divini, in ejus corde vehementer ardeat. De quo scriptum est : *Deus ignis consumens est.* Unde S. Augustinus ait : « Quisquis fiduciam « habet in die iudicii, perfecta est in illo charitas. « Quid est habere fidem iudicii? Non timere ne « veniat dies iudicii. Date operam, intus agite « vobiscum, ut desideretis diem iudicii, aliter non « probatur perfecta charitas, nisi cum cõperit ille « dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui « fiduciam habet in illo; ille autem fiduciam habet « in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate « perfecta atque sincera. » Porro ad acquirendam hanc puram conscientiam, ad accendendum in corde charitatis ignem, ad excludendum omnem iudicii timorem nullum est efficacius medium, quam si quis continuo de futuro iudicio cogitet.

VERSUS 24.

Et cum cepisset rationem ponere, oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

Oblatum est ei unus.

1. — Salmeron verbum *oblatum* in sensu spiritali examinans ita scribit : « *Oblatus* vel a Spiritu « Sancto ducente animam, ut peccatorum suorum « magnitudinem et gravitatem agnoscat, et recordeatur viarum suarum pessimarum, et displiceant « illi peccata sua; vel ab Angelo impellente ad sui, « et suorum debitorum cognitionem; vel a propria « conscientia, quæ semper deprecatur ad optima, « et pro Deo militat; sive a Prædicatore vel Sacerdote, qui sunt a confessione, qui culpas ex « parte Dei exaggerant, et ad satisfactionem impellunt. »

Qui debebat ei decem millia talenta.

2. — Cornelius a Lapide juxta computum talenti Hebraici, hanc summam exacto calculo, ad centum

viginti miliones scutorum deducit. S. Antonius de Padua per hoc debuit, quod infinitatem quamdam in se continet, obligationem interpretatur, qua Deo obstringimur, ad servanda decem præcepta : « Omnis homo debet Jesu decem millia « talenta, id est, decalogi observationem; » qui enim hanc legem transgreditur, ingentis huius summæ se Deo debitorem constituit; quia veritas est, quod S. Augustinus a S. Thoma citatus, ait : « Quia lex in decem præceptis commendatur, ille « debebat decem millia talentorum, per quod « omnia peccata significat, quæ secundum legem « fiunt; » et quidem, licet nonnunquam aliquis unum duntaxat præceptum transgrediat, horum nihilominus decem millium talentorum debitor efficitur, quia omnibus aliis præceptis per talem transgressionem injuria irrogatur, et hoc forte, ni fallor, S. Jacobus, II, 10, dicere voluit, dum ait : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus.* Salmeron de hoc debitore dicit, quod per illam « significatur « insignis et ingratisimus peccator, quasi milles « transgressus sit decem præcepta Dei; » observandum est enim, quod Christus orationem Dominicam ab omnibus fidelibus quotidie frequentantem tradens, peccatum debiti nomine compellat, *Luc.* II, 4 : *Dimitte nobis debita nostra;* quia in S. Luca dum eadem oratio recensetur, loco vocis *debita*, legitur : *peccata nostra;* pariter sapientissimus Magister noster apud eundem S. Lucam, II, 41, de enormium peccatorum remissione, magne illius peccatrici, in domo Simonis leprosi loquens ait : *Duo debitores erunt cuidam feneratori.* S. Thomas, quintam petitionem ejusdem orationis Dominicæ exponens, hujus ad debitum allusionis rationem reddit; quia quando peccamus, inquit, Deo suam jurisdictionem auferre satagimus, quia Deus hoc in nos jus obtinet, ut divinam ejus voluntatem observare et adimplere teneamur, id est, ut divinam ejus legem firmiter observemus, quia in lege Domini voluntas ejus; similiter quando in aquis Baptismalibus regeneramur, divina ejus præcepta observare, et peccato in perpetuum renuntiare solemniter promittimus. Et ideo S. Augustinus peccatum ita definit : « Dictum « vel factum, vel conceptum contra legem Dei, » quia in aversione a divino benedictio formaliter consistit; ac proinde dum nos ab ejus lege subtrahere præsumimus, consequenter divinam ejus jurisdictionem usurpamus. Deinde per culpam, timorem et reverentiam Deo debitum ei adimimus, *Molac.* I, 6 : *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus; si Dominus, ubi est timor meus?* Amorem pariter, quem illi debemus, creaturis attribuimus. Denique jugum obedientiæ et subjectionis, Deo ex infinitis titulis debita : *Iustum enim est, subditum esse Deo;* executimus, eique rebellando, ex Dei servituti inimici infernales efficitur.

3. — Et quidem si peccati gravitatem ad exactam trutinam revocare, illiusque excessivi debiti inexhaustam summam computare velimus, tot millium talentorum debitum indubie istinc emergere videmus; peccatum namque ad tantam gravitatem exurgit, ut Psalmista, *Psal.* XVIII, 13, dicit : *Delicta quis intelligit?* Sublimissimi colorum Cherubini, nec non illuminatissimi, quos Cathedra Petri habet, Theologi, ad dignum malitiæ unius peccati mortalis conceptum formandum, pertingere nunquam possunt, quia hæc notitia, a bonitatis, omnipotentis, majestatis, divinitatis et dignitatis illius, qui offenditur, perfecta et adæquata cognitione dependet; unde S. Thomas ait : « Peccatum « habet quamdam infinitatem ex infinitate divinæ « Majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto « major est ille, in quem delinquitur; » hæc quoque gravitas ex contemptu persone offensæ, quæ Deus est, « quem adorant Dominationes, tremunt Potestates, » plurimum aggravatur, maxime quando contemptus ille a tam vili creatura sit, qualis homo est, qui nihil est aliud, quam quidam lutu pugillus, vilissimus terræ vermiculus et saccus putredinis.

4. — Theophylactus notat, hoc debitum quoque haud vulgariter crescere ad proportionem talentorum, id est, immensorum et innumerabilium beneficiorum, a Deo receptorum : « Decem millium « talentorum debitores nos sumus, qui quotidie « multis beneficiis afficimur, et nihil boni Deo « rependimus. »

5. — Porro que et qualia hæc sint talenta, de quibus Deo rationem reddere tenemur, quorumque debitores efficitur, Paulus de Palatio his verbis graviter exponit : « Hæc partim naturalia, partim « supernaturalia esse. Naturalia : Dedit se Deus « homini, ut, ubicumque velit, Deum habeat « cooperatorem, quia sine Dei cooperatione, ne « quo naturalia opera quis facere posset; secundo, « dedit homini mundum; tertio, ipsum hominem, « carnem scilicet tot organo instructam, animam « tot potentiis vigentem, acumen rationis, et arbitrii libertatem; quarto, peculiares gratias : alii « canant, alii pingunt, alii aliis artibus polleant; « quinto, reliqua bona, salutem, honores, amicos, « divitias; » demum vero bona supernaturalia, licet obiter, ponderando progreditur, his verbis : « Innumera hæc sunt, sed his quinque millibus « comprehensa : Primo, dedit homini Filium unigenitum; secundo, Ecclesiam; tertio, gratiam, cum « qua fidem, spem, charitatem et reliquas virtutes « infusus; quarto, gratias gratis datas; quinto, inspirationes innumeras et spiritalia beneficia; si « hæc talenta in cultum Dei insumantur, nihil « debebit, qui insumit, siquidem in usus Dei « expenduntur; sed si in obsequium diaboli, exactissimam rationem exiget. » Augetur etiam gravitas hujus debiti per offensam, qua talem Deum

injuria afficimus, qui tanquam Creator et Redemptor noster, qui vita et sanguine suo nos sibi comparavit, innumeris nobis beneficiis cumulavit; unde Beatus Laurentius Justinianus ait : « Ex pretio « erogato pro te, Redemptoris tui agnosce munus, « tuæque prevaricationis pondus : » trutinari quoque merentur omnia alia specialissima beneficia, quibus nos Deus adauxit; dum nos ad imaginem et similitudinem suam creavit, dum amplissimos celi thesauros in nos effudit, dum pari cum Angelis gradu, celestis regni nos participes effecit, *Psal.* IX, 7 : *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum;* quando ergo per nos turpi voluptatulo, pro vili quodam lucello, et ad bestialem quendam appetitum in nobis exaltandum, hujus adeo erga nos beneficii Dei lex conculcatur, sanguis ejus proferitur et contemnitur, nosque ei rebelles efficitur, demonis mancipia efficitur, quis in Deum resultantem injuriam et contractam a nobis debitum, infinitatem quamdam in se habere dubitare poterit?

6. — Inter alias quoque proportionem, quæ debitorem inter et peccatorem versantur, una quoque et quidem precipua hæc est, quod, sicut debitor in continuo est carceris sustinendi metu; ita quoque qui hoc peccati debitum contraxit, continuo in se interius experitur remorsum, maleque conscientie synderesin. Psaltes, *Psal.* IX, 17, ait : *Cogitavit Dominus, judicia faciens,* circa que verba S. Hieronymus ab Ilugone Cardinali citatus inquit : « Unusquisque peccans secum portat finem, « tormenta, vincula. » Lyranus super verba, *decem millia talenta*, dicit : « Id est, obligatus manet ad « magnam penam; » siquidem protinus ut divinam legem in materia gravi transgredimur, pena temporalis et æternæ rei efficitur, talique a nobis debitum contrahitur, ut si divina justitia pro tanto peccato nos omnibus puniat flagellis famis, pestis, bellorum, incendiolorum, diluviorum, omnibus quoque atrocissimis martyrum suppliciis, imo canctis damnatorum tormentis, nos attamen parum, et ut scholæ loquuntur, *contra condignum* nos punire censentur. Neque censendus est in Deo, adeo in nos benigno, misericordiæ defectus, dum ultorem justitiæ suæ ensem, pro una tantum culpa mortali adeo atrociter in nos stringit, qui injuriam vindicat infinitam, in Deum infinite bonitatis et meriti infiniti admissam.

7. — Considerari quoque hic potest, quantum judicia Dei et hominis distent et differant; de hoc enim debitore post contractum adeo excessivum debitum, non constat, quod de illius solutione quidquam cogitarit, aut se ob carceris metum subduxerit, imo in hujus rei aula in societate aliorum, sine ullo verecundie rubore substitit, et hæc est multorum peccatorum similis conditio, qui *bibunt, quasi aquam, iniquitatem,* suoque genio in hac vita in-

dulgent, finem hujus vitæ neutquam considerantes; imo sæpe, *Prov.*, II, 14: *Lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis*; at vero, tametsi nos peccata nihili faciamus, erit tamen tempus, quando rigorosissimus judex Deus, illa bilanci suæ imposita, in pondere sanctuarii accuratissime librabit: *Tu quidem*, dicebat Job, xiv, 16, *gressus meos dinumerasti*. Et *Matth.*, xx, 30: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; omnes cogitationes et desideria nostra, omnia inquam et singula ad trutinam revocabuntur*.

S. — Apud Zachariam, v, 7, mira legitur visio. *Ece*, inquit Propheta, *talentum plumbi portabat et ecce mulier uni sedens*. Origenes ad rem nostram, Prophetam ad peccatorum carnalium gravitatem alludere dicit, utpote que plus quam omnia alia peccata, penes divinam justitiam nos debitores constituunt: « Ideo » inquit, « talentorum multorum factus est debitor, quoniam secutus est mu-
« hierem super talentum plumbi sedentem, cujus
« nomen iniquitas; » hoc enim peccatum consequenter post se omnia alia trahit, quod proinde Clemens Alexandrinus jure appellat « metropolim vitiorum. »

Additiones.

a. — *Et cum coepisset rationem ponere, oblatas est ei unus, etc.* Sic obstratus est homo per delictum, ut neque ipse solvendo par sit tanti debiti molem. Grande peccati damnum, cum ex eo a semetipso peccator resurgere nequeat. Si mala et damna peccati compendiose enumerare velimus, illa revera et in substantia ad sequentia redeuntur capita. Ex peccato enim nascitur jactura amicitiae et gratiae Dei, quæ pretiosissimum est totius cæli et terræ thesaurus; præterea privato donorum et virtutum infusarum a Spiritu Sancto, juris item quod habemus ad supernam hereditatem regni cælestis, adoptionis et filiationis divinæ, protectionis et providentiæ paternalæ, quam Deus circa justos gerit, quibus omnia cooperantur in bonum. Insuper peccatum a nobis tollit pacem et serenitatem bonæ conscientie, consolationes internas spirituales, quibus servi Dei etiam in summis adversitatibus abundare solent; spoliat nos quoque omnibus meritis honorum operum quæ in decursu totius ætatis nostræ fecimus; insuper etiam participatione innumerorum bonorum aliarum animarum justarum, quæ cæteroquin gavisi fuissetus, tanquam membra unita corpori mystico Ecclesiæ, cujus caput est Christus. Unde David dicebat, *Psal.* cxviii, 63: *Particeps ego sum omnium timentium te*. Ad hæc peccator, quantum est ex parte sua, inutilem reddit et conculcat sanguinem Salvatoris, infinitum scilicet redemptionis nostræ pretium; infructuosa efficit et inutilia omnia opera sua, quantumvis virtuosa et bona, scilicet jejunia, elec-

mosynas, orationes, disciplinas, aliaque opera similia, quia hæc si in peccato mortali fiant, Deo non sunt grata. Præterea unum peccatum alterius est poena; dum enim unum peccatum super aliud accumulatur, longa quædam contextitur catena, quæ tanquam servi et mancipia demonis, ad infernum per totam æternitatem tolerandum raptantur. Deinde peccatum contristat Deum, Angelos et omnes cæli civis, si hi aliequus essent tristitiæ capaces. Debilitat et enervat in nobis inclinationem et promptitudinem illam, quam alias a natura et ratione haberemus ad virtuose operandum, excæcat quoque intellectum nostrum, vulneratque alias potentias, bestiisque nos similes efficit. Damnum infert non solum animæ, sed et corpori, abbreviando vitam et mortem accelerando. Verum enimvero, id quod inter omnia deplorabilis est, ex hoc lot ærumnarum inextricabili et profundo barathro, nunquam a nobismetipsis resurgere valeremus, nisi Deus, etiamsi a nobis offensus, per summam et infinitam bonitatem suam, manum nobis porrigeret. S. Antoninus proinde ait: « Si liber homo
« ambulans per viam, juxta quam est fovea profun-
« dissima, projiceret se in eam, non est liber ad
« exeundum nisi alterius adjutorio. Ita et in foveam
« peccati, quod ad infernum ducit, liber est quili-
« bet per se ad intrandum, sed non ad exeundum,
« nisi Deus porrigat ei manum gratiæ. Quod
« agnoscens David, *Psal.* cxlv, dicebat: *Emitte
« manum tuam de alto; libera me, et eripe me de
« aquis multis, scilicet vitiorum, quia scilicet, per
« me non valeo.* »

b. — Undenam huic servo multiplicata delicta? Ex uno peccato; ex eo enim in aliud decidit homo, ut in tantam delictorum multitudinem contra omnem legem deveniret; specialis enim peccati poena est quod unum peccatum post se trahat aliud. Hisce verbis Apocalyplicis, *Apo.*, xxii, 11, hoc insinuat gravissimum supplicium: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Etenim teste experientia, quanto quis in luto se magis circumvolvât, tanto magis sese coinquinat et defodiat. Porro Abulensis modum insinuat quo unum peccatum ad alterum invitet; ait enim: « Dici potest quod unum peccatum est
« dispositio ad aliud, non quidem quod directe
« unum peccatum sequatur ex alio, sed quia cum
« homo magis perseverat in malo, fit pigrior ad
« bonum et ad malum pronior. » Consideratione digna est observatio illa S. Augustini, quam explicando verba illa Psalmi lvii: *Iniquitates nomen vestra concinnant*, his verbis tradit: « Quid est
« concinnant, vel connectunt? de peccato pecca-
« tum, et ad peccatum peccatum, propter pecca-
« tum. Quid est hoc? Furtum fecit; peccatum
« est. Visus est; occidere querit eum a quo visus
« est. Connexum est peccatum peccato. Permisit
« Deus oculo judicio occidere eum quem voluit

« occidere. Sentit sciri; querit alium occidere:
« connexit tertium. Dum ea molitur, forte ne
« inveniat, ne convineatur, consult mathematicum
« cum: additum est quartum. Respondit forte
« aliqua dura et mala mathematicus; currit ad
« aruspicum ut expietur. Respondet aruspex se
« non posse expiare; maleficus queritur. Et quis
« omnia possit numerare quæ connectuntur peccata
« peccatis. » S. Doctor ipsemet quoque declarat,
qua ratione ante suam conversionem jacuerit miserabilis, et ab immensa innumerabilium peccatorum multitudine oppressus; ait enim, *lib.* VIII *Confes.*: « Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi cate-
« nam fecerat, et constrinxerat me, quippe ex
« voluntate perversa facta est libido, et dum servi-
« tur libidini, facta est consuetudo, et dum consue-
« tudini non resistitur, facta est necessitas. »

c. — In decem millibus talentorum denotatur hic magna et ingens auri summa. Talentum Atticum, ut refert Balenus, valebat sexcentos aureos; ex quo patet, centum talenta esse sexaginta millia aureorum, millia talenta continere sexcenta millia aureorum. Si autem Hebræorum supputationem sequamur, multo plus exerescit summa; Hebraicum enim talentum continebat duodecim millia aureorum; inde decem millia talenta auri, sunt centum viginti miliones aureorum, quod singulari studio apponere voluit, ut quia in sacro Evangelio aliquoties de talentis fit mentio, sacer Ecclesiastes, maxime is cui librorum copia, seu instructor bibliotheca non suppetit, facili studio id scire, auditoribus suis explicare possit. Nunc autem ad explicationem thematis redeamus.

Voluit Dominus, per hæc parabolam, sicut indicare peccatorum remissionem, sic quoque ostendere eorumdem gravitatem contra Dei majestatem infinitam. Optime autem ad dictam gravitatem exprimeandam congruit tanta auri summa. Plus enim exigit Deus ab eo qui unum peccatum mortale commisit, quam si a servo paupere dominus exigisset centum viginti miliones aureorum. Unum enim peccatum mortale cum sit contra Deum commissum, Deoque injuriosum, imo quantum in suo affectu Deum spoliare constat sua divinitate; longe autem multo major est injuria Dei, indeque resultans debitum, quam sint omnia sanctorum hominum debita, quæ ab aliis hominibus debentur. Quod jam vel inde patet, quod unum peccatum mortale commissum animam Deo gratissimum pignus, ejusque singulare ac pulcherrimum opus deformet, destruat et perdat. Patet etiam ex eo quod Deus ipse pretium pro anima exsolvere debuerit, quod nulla hominum potentia adæquare poterat.

d. — Questionem hic movet Eusebius Emisenus, dicens: « Quare cum hoc prius Dominus rationem
« ponere voluit? » Respondet considerando, in hoc denarium numero omnium peccatorum gravita-

tem contineri. « Omnes enim, » inquit, « numeri
« hoc numero continentur; cum enim usque ad
« decem numeramus, nisi iterum ab uno incipia-
« mus, nihil habemus quod dicamus. » Hoc igitur
debito major debitor non est. Ad quid ergo sumus debitor, seu peccator introducitur? Subdit ipse Eusebius: « Ut ejus exemplo ceteri intelligerent
« quantam spem habere potuisent. » Ex divina ordinatione hic tantorum debitor talentorum statim in principio coram Domino sistitur, ut cum alii peccatores viderint huic tanto debitori, indulgentiam ac remissionem concessam, nullus desperet, sed omnes animum sumant, quod etiam in suis magnis delictis veniam impetrabunt; ac proinde media ad peccatorum remissionem conducentia, sine dilatione sibi applicant, qualia sunt, contritio, confessio et satisfactio.

e. — Tanta auri summa congruit antecedenti doctrinæ, in qua docuerat Dominus, fratri injuriam dimittendam septuagies septies. Si enim Deus nobis condonat tantam peccatorum multitudinem, quæ longe excedit decem millia talentorum, id est, centum viginti miliones aureorum; ergo multo magis omnes proximorum contra nos offensas ei dimittere debemus, quæ numero pauciores et qualitate sua multo inferiores sunt; præsertim cum Deus, hac lege et conditione, nostra gravissima et plura crimina remittat, ut et nos exiguas et parvas offensas proximis condonemus. D. Chrysostomus, in quadam super Genesim Homilia, ubi præsentem adducit parabolam discurrentem audiamus, atque dicentem: « Hic non de talentis et denariis simpli-
« citer dixit, sed de peccatis erat sermo, et delicto-
« rum magnitudine; ut discamus nos quidem
« infinitorum peccatorum penas Domino debentes,
« propter ineffabilem illius misericordiam, remis-
« sionem ab ipso accipimus: si vero erga conser-
« vos et proximos, et eos, qui eandem, quam
« nos, naturam sortiti sunt, crudeles et inhumani
« fuerimus, et quæ in nos commissa sunt, non
« demiserimus, tunc et nos in indignationem
« Domini incidimus et ea quæ jam antea dimissa
« erant, solve re iterum in tormentis cogemur. »

Egena quædam vidua Eliseo quondam extremam suam paupertatem, seque debitis insuper gravatam, in hæc legitur insinuasse verba: *Ece creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi*. Sed quid Propheta ei respondisse autumatis? *Dic mihi, quid habes in domo tua?* At illa respondit: *Non habeo, ancilla tua, quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar. Cui ait: Vade; pete multo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non parva, et ingredere, et claude ostium tuum, et mitte tude in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles. Crevit itaque oleum in omnibus vasis, adeo ut oleum, deficientibus vasis, exundaret; de quo certior factus Eliseus, femina præcipit dicens: *Vade, vende oleum et**

reddere creditori tuo. Tu autem et filii tui, vivite de reliquo. Quis hæc in figura contigisse negaverit? siquidem immensum est quod homo cum iustitia divina contraxit debitum, utpote qui in multis offendimus omnes, quemadmodum in oratione Dominica profitemur quotidie. Quem autem satisfactionis modum nobis a creditore nostro insinuat esse putatis? *Dimittite et dimittent.* S. Augustinus per oleum misericordiam intelligit, dum ait: « In oleo misericordia intelligitur; » ac proinde, si oleum charitatis et amoris erga Deum et proximos nostros habeamus, optime facturi erimus, si illud pro aliqua saltem parte in vasa vacua infundamus, id est, nostris persecutoribus et inimicis, qui timoris Dei, charitatis, virtutum, aliorumque honorum spiritualium inania vasa sunt, impendamus. Hanc enim dilectionem exercendo, per redditionem boni pro malo, iis qui injuriis nos affecerunt, charitas erga Deum et proximos, in cordibus nostris augetur, hæcque ea quibus coram Deo obnoxii sumus, debita ditet et aboluit, siquidem, *charitas operit multitudinem peccatorum.*

f. — Origenes, *tract. vi in Matth.*, ait: « In principio ergo ponendæ rationis, oblatum est ei debitor talentorum multorum; qui scilicet multa « fecerat damna, et magna ei erant injuncta, et « nullum attulit fructum; qui forsitan tot talenta « perdidit quantos perdidit homines. » Servus isto Superiorum et Prælatorum personam exprimebat, ut docent D. Paschasius, D. Thomas, Abulensis et alii hic. Talenta autem credita sunt subditi: quot ergo, aut injuria sua, aut malo exemplo seu scandalo, subditi perierunt, tot talentorum factus est debitor, ut de illis redderet rationem, pro eisque penas solveret. Legitur, *lib. Num.*, xxv, 3: *Initiatum est Israel Boelphégor, et iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos Principes populi, et suspende eos contra solem, in patibulis, ut avertatur furor meus.* Qui hæc Numerorum historiam conscripsit chronista, ipsemet Moyses erat, cui Dominus præcepit, ut Principes cruci affigeret, quia populus in fornicationem et idololatriam corruerat. Quare igitur, contra primates gladius acuit? Origenes respondet: « Vides que sit conditio Principum: « de populi peccatis coguntur reddere rationem. » Principales autem ad rigorosissimam obligabuntur, si ipsimet causa offendiculi fuerint, iis, qui a se dependent; quia nimirum Princeps scandalosus, toti est periculosus reipublice. Tales autem fuisse in præsentem, ex eodem deducitur capitulo, siquidem ille, contra quem ferrum vibravit Phinees, quique alios ad fornicationem pessimo suo exemplo inclinabat, Princeps erat, dicente Scriptura Sacra: *Erat autem nomen viri Israelite, qui occisus est cum Madianitide, Zamri filius Saul, dux de cognatione et tribu Simeonis.* Porro *mulier Madianitis vocabatur Cozi, filia Sur principis nobilissimi Ma-*

dimitarum. Quantumvis igitur omnes scandalosi a iustitia punitiva Dei plebantur, nihilominus capita, Prælati et Principes manifestus et severus castigantur, ideoque notanter dicitur: *Suspende eos contra solem:* « Ut arguantur a luce, » inquit Origenes, « ostentantur contra solem ante quo nihil potest abscondi; » quia nimirum scandalum publicum iustitia divina publico celitus supplicio expiari jubet. Quisquis quatuor Regum et duos Paralipomenon libros attente pervolvit, inveniet utique, nullum inter omnes reges Israel atrocissimum fuisse a Deo castigatum quam Jeroboam; sæpe autem dum fulminum, a divina iustitia in ipsum emissorum, fit mentio, ratio illorum his verbis insinuat: *Quia peccare fecit Israel.* Duos enim vitulos aureos a subditis suis adorandos erexit, unum in Bethel, in Dan vero alterum: « Duo autem vituli, » ut Bellovacensis ait, « duo exemplorum malorum genera significant, in Prælati et personis Ecclesiasticis. Hic est vitulus quem « posuit in Bethel, id est, in domo Dei ad ruinam « populi. Vitulus in Dan, qui iudicium interpreta- « tur, significat exemplum malum Principum ter- « reorum. » Pro cuius majori intelligentia, *cap. xiv lib. Reg. III,* si lubet, pererit, ubi exterminium ejus, totisque posteritatis ipsis fuisit describitur.

g. — Theophylactus inquit: « Decem millium « talentorum debitores nos sumus, qui quotidie « multis beneficiis afflicimur, et nil hinc rependi- « mus; » et in ingratitude in bonis acceptis, tot tantaque debita excreverunt. Ingrati enim omnibus pene abundant vitis, ideoque maxime Dei debitores et abominabiles. Nec immerito, siquidem vitium hoc habet sibi annexam omnem malitiam.

Rupertus Abbas, Adami erga communem Creatorem, post indultam adeo nobilem substantiam, considerat ingratitude; siquidem ut divino illi artifice a quo formatus fuerat, gratias tribueret, ne suum quidem os aperire dignatus fuit. « Nam in eo « quod hominem gratis fecit, » inquit ille, « et « gratis nihilominus in illo voluptatis loco, in illo « tali Paradiso deliciis affluens, patrem futurum « multitudini Sanctorum posuit, plane debitorem « magnæ charitatis eundem sibi effecit hominem, « et valide suis beneficiis obligavit. At ille ingratus « tantæ gratiæ, debitum charitatis non rependit, « in quo magnitudinem nequitie nullus est qui « estimare possit. » Ubi titulum hunc quo vitium ingratitude appellat, observetis velim, scilicet « magnitudinem nequitie. » S. Laurentius Justinianus ait: « Grande prorsus malum est ingratitude « que divinæ bonitatis exsiccat fontem, hominum « benevolentiam dirimit, spoliat bonis, dignitate « privat, elationem parit, infert cecitatem, amicos « despiciit, disseminat scandala, detractiones fovet, « nutrit jurgia, odia auget, sequæ possidentem « coram Deo et hominibus facit inglorium. »

VERSUS 25.

Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia, quæ habebat, et reddi.

Cum autem non haberet unde redderet.

1. — Salmeron penuriam nostram, qua etiam si culpa mediante honorum nostrorum operum meritis exuti non essemus, continuo laboramus, his verbis optime exaggetat: « Eliamsi peccati exper- « tes simus, minime tamen pro beneficiis æqua- « lens reddere valeremus, nam nos totos Deo de- « bemus, non solum ratione redemptionis, et vitæ « æternæ, et gloriæ promissæ, sed etiam creationis « atque conservationis. »

2. — Sciendum est enim, peccatum adeo grande debitum esse, ut, si omnes angeli, qui in cælis sunt innumeri, siquidem in infimo choro plus sunt Angelis, quam omnes animæ create et in finem usque seculorum creandæ, si item omnes animæ, quotquot existere aut imposterum existent, a Deo creandæ, si, inquam, omnes isti, per omnem æternitatem, penas paterentur infernales, ad satisfaciendum pro uno solo peccato mortali, æquivalentem divinæ justitiæ pro debito hujusmodi nunquam offerre possent monetam, ideoque necessum fuit, ut pro condigna tanti debiti satisfactione, Filius Dei in ara crucis, pretium sanguinis venarum suarum exsolveret de ærario isto, in quo sunt omnes thesauri. Imaginemini vobis, quendam inter compedes et vincula, squalidus carceris angustiis inclusum, mortisque condemnationem, potentis ejusdem regis, dilectum servum, cuius debito diluendo exhausti sint omnes regni illius thesauri, licet nullo et irritò effectu, ad cuius etiam consolationem evacuata regia æraria pertingere non potuissent, imo tametsi omnes monarchæ subditi pro ejus et carere liberatione, debitis diluendis, vitam suam offerrent, ingens tamen ejus debitum expungere non valuisset, ac proinde cogente necessitate ejusdem regis filius unicus pro eodem servo redimendo et abolendo ejus debito, infame patibulum fuisse adigendus; eundemque casum in homine peccatore reipsa vere contigisse cogitetis; vere enim homo, servus Dei vilissimus, magnis tamen a Deo favoribus exornatus, per peccatum infinitæ quantitatis contraxit debitum, pro cuius satisfactione, oblato mille mundi, nec non omnium Angelorum, aliorumque cælitum, imo et ipsiusmet Matris magnæ merita, nihil unquam prevalere aut ingentis debiti summam diluere potuere, adeoque Filium Altissimi in crucis trunco crucifigere necessarium fuit, idque ut Dionysius Cartusianus super verba: *Oportuit pati Christum,* ait: « Ut innotesceret, quam enorme « et grave sit peccatum, pro cuius expiatione, oportuit pati unicum Dei Filium, » qui, ut pariter

scribit Apostolus, *Coloss.*, ii, 13: *Cum mortui essetis in delictis, convivificavit, donans vobis omnia delicta, delens, quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.*

3. — Dionysius Cartusianus hominem in statu peccati mortalis constitutum, et consequenter ad satisfaciendum impotentem, per hunc debitorem intelligendum esse dicit; ideo verba hæc, *cum non haberet unde redderet,* ita exponit: « Cum et non « essent opera virtuosæ meritoria, quibus Deum « placaret et ejus justitiæ condignam honoris re- « compensationem pro illa injuria exhiberet; hæc « enim non habet, qui in mortali est culpa, » quod ipsum Lyranus advertens, super hæc verba ita scribit: « Quia peccator non habet unde satisfaciat « Deo pro peccato. » Hugo Cardinalis pariter observat, quod hoc quidem debitum ex nobis ipsis facere, non vero ex nobis ipsis diluere valeamus: « Potest homo per se ruere in peccatum non tamen « resurgere. » — « Ex nobis enim, » ut Salmeron super hæc verba ait: « Quasi ex nobis, non habemus nisi peccata, id est, spinas et tribulos. »

Jussit eum dominus ejus venundari.

4. — Albertus Magnus pro hæc venditionem, æternam intelligit damnationem, inquit: « Hæc « venundatio est æterna damnatio, omnis enim, « qui mortuus fuerit in peccato mortali, venunda- « bitur, id est, supplicii æterni condemnabitur. » Lyranus pariter in horum verborum explanatione, ad penas alludit infernales, dicens: « Quia omnia « sua sunt pena: æternæ propter peccatum suum « obligata. » S. Augustinus in *Catena* citatus ait: « Venundati, est supplicium damnati. »

5. — Lucas Brugensis aliquibus in locis consuetudinem fuisse scribit, ut in satisfactionem, ipsi pro mancipiis venderentur debitores: « Erat consue- « tudo, » inquit, « regnorum quorundam, ut cum « debito solvendo per alter non esset, posset cre- « ditore vendere etiam ipsum debitorem, uxorem- « que ejus et filios; » prout lamentabiliter afflicta vidua illa, que sancti se Elisei providentiæ committibat, *IV Reg.*, iv, 17, inquit: *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad servendum sibi;* mos nihilominus communior obtinuit, ut debitor carceribus includatur: « Ut, qui non habet in « bonis, luat in corpore. » S. Thomas hæc particu- « lam venundari de pena intelligit, que culpam consequitur: « Quia cum Dominus facit rationem, » inquit, « cum homine, et non habet homo unde « solvat, et considerat justitiam Dei, quæ est pena, « jubet, quod venundetur; quando venundatur pre- « tium peccati est pena, quia pretium est, quod « aliquis accipit pro eo et sic venundatur, quando « pena infligitur. *Isa.*, l, 1: *In iniquitatibus vestris « venundati estis.* »

6. — Glossa Interlinearis servitute cui anima per culpam subjicitur, considerans dicit: « Permissit justo iudicio malignorum spirituum servum fieri; » nec solum anima mancipium demonis, sed etiam effrenium appetituum suorum efficitur. Unde Paulus de Palatio ait: « Tunc venundatur, cum datur in reprobum sensum, in quamdam velut impotentiam resurgendi a peccato. » Rom., vii, 14: *Ego carnalis sum, venundatus sum sub peccato*; neque anima pectatrix ab alio, sed a seipsa in vincula conjicitur; flitque mancipium sensuum suorum, Joan., viii, 24: *Omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati*. Hanc veritatem S. Ambrosius confirmat, dicens: « Servile est omne peccatum, libera innocentia. » S. Augustinus quoque de se ante suam conversionem confitetur, quod, licet libertate sua fruere, a se tamen liber non fuerit: « Velle meum tenebat inimicus, et inde a mihi catenam fecerat, et constrinxerat me; » qui ibidem ultra longae hujus catenae annulos seu modos describere pergit, dum ait: « Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et si consuetudini non resistitur, facta est necessitas. »

7. — Sacra Scriptura communiter, quoad hominem impissimum exprimere nititur, simili fere phrasa loquitur ipsidum; sic Spiritus de Achab, III Reg., xii, 25, ait: *Igitur non fuit alter talis Achab, qui venundatus est, ut faceret malum*; verum quidem est, eundem Achab regem fuisse et ut talem alii imperasse; attamen appetitibus suis serviebat, eaque servus passionum suarum; optime igitur Eusebius Gallicanus ait: « Quid prodest, quod liber est in natura, qui servus est in conscientia? » Videmus nos extrinsecus generis claritate sublimis, intrinsecus mentis infirmitate degeneres, et innocenter dominos et criminum servos. »

8. — Objici a nonneme posset, qua ratione Rex ille, qui Christi erat figura, summe benigni et misericordis, tantam in debitorem servitiam exercuerit? Cui responderi potest his Psalmistae verbis: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis*. « Non enim ex crudelitate certe, » ut Chrysostomus, *Hom. lxxi in Matth.*, ait, « nec quia inhumanus esset, sed quia incredibili cura illius devictus, » hac comminatione ad supplicandum, ne vendatur, eum adducebat; ratio autem, quam dicitus Sanctus reddit, valde est efficax, eamque colligit ex eo, quod subsiquitur: « Si propter debitum fecisset, non annuisset sane petitioni debitoris, nec universo ipsum debito condonasset. »

9. — Enthymus aliud hujus severitatis motivum perpendit, dum eam in bonum hujus debitoris ordinatam fuisse dicit: « Propter hoc, » inquit, « in magnam necessitatem eum redegit, ut ad memoriam imposterum revocare posset, qua condonatione absolutus esset et compassivus etiam ipse

« erga suum fieret debitorem, propriis edoctus a lamitibus. »

Et uxorem ejus.

10. — « Per uxorem ejus, » inquit Lyranus, « significatur delectatio prava, » vel etiam per illam hoc corpus, haeque caro nostra denotatur, quam Deus nobis dedit, tanquam servam animae, in adiutorium ei consignatam. Unde Theophylactus ait: « An non autem uxor, caro, quae scilicet est conjux animae? » At vero culpa nostra, corpus animae pondus et onus est, Sap., ix, 15: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam et terreni inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Dionysius Carthusianus ait: « Uxorem, id est, sensualitatem, » Albertus Magnus pariter: « Uxorem, carnalem concupiscentiam, quae allegerat eum, » idem alibi dicit: « Uxor tua, id est, conscientia tua, » sed quae culpa in hac ejus consortie erat, quod ejusdem poenae particeps facta fuit et ipsa? Quoad sensum spirituales hac de re dubitare non potest, quia: *Caro concupiscit adversus spiritum*, ideoque omnis debiti apud Deum contracti origo est, et spiritus adversus carnem: *hac enim invicem pugnant, ut non quaevisque vultis, illa faciatis*; quoad sensum vero literalem illae uxores intelliguntur, quae vanitatis, luxubus, pompis deditae, multorum damnorum causa existunt et consequenter multorum debitorum origo; atque ideo, quia culpae instrumentum fuerunt, justum erat, ut et ipse in poena partem haberent.

Et filios.

11. — « Id est, » ut Dionysius Carthusianus ait, « opera mala; » sic quoque Lyranus in hujus loci moralitate dicit: « Per uxorem delectatio prava, et per filios, actus mali procedentes inde, pro quibus est puniendus; » per filios quoque, sensus nostros intelligere possumus, qui transgressionum nostrarum origo existunt. Theophylactus ait: « Pueri, opera quae male fiunt a corpore et animo; » jubet carnem dari Satanae in interitum, hoc est, « morbis vel passioni demonis. » Albertus Magnus in sermone citato inquit: « *Filios ejus*; id est, opera et omnia membra venundantur, id est, exterius natus damnantur, ut videlicet persolvat in poena, quae commissis in culpa. »

Et omnia quae habebat et reddi.

12. — Id est, inquit Albertus Magnus: « Omnia hujus mundi delectabilia et reddi per supplicia poenarum. *Job.*, x, 18: *Luct, quae fecit omniam*. » Dicit quoque potest, quod per culpam mortalem omnibus gratis, cunctisque honorum operum meritis ad illud usque tempus comparatis spoliemur. « Veni cum uxore et familia, » ait Theophylactus, « signat alienationem a Deo; qui enim venditur,

« alterius domini fit; » et qui a Deo se alienat et separatur, omnis boni jacturam facit: *Deus meus et omnia*.

13. — Glossa de hac venditione et servitute in persona Judaeorum tractans, ait: « Eum non solum populum, sed etiam prelatos et subditos; cum tota familia vel substantia eorum, pro magnitudine delictorum exteris tradidit nationibus, ut quod noluerunt voto, solvant tormento. »

14. — Ita sensu quoque morali dici potest, quod saepe, quando Deus uxorem, filios, facultates et quidquid in hac vita amamus, nobis eripit, signum id sit evidens, in proximo esse, quod ad rationes reddendas postulandi simus, adversitates enim immissae, ut plurimum citationes sunt, ut coram tribunalis Dei compareamus.

Additiones.

a. — *Cum autem non haberet unde redderet, jussit dominus ejus venundari*. Magna hic apparet severitas illius domini, ex qua quilibet peccator miseram status sui valet conditionem recognoscere. Cum mandatur venundari, jam amittit dominum suum, scilicet Deum, deindeque omnia gratiae bona, et ad diaboli transit mancipium. Cum venundatur, jam sibi disperdit usum propriae vitae, cum alterius sit, alterique vivat. Cum venundatur, jam suum perdit honorem, servus enim constituitur. Cum venundatur, etiam omnia sua bona disperdit. O utinam homines recogitarent sedulo quot mala illis inferunt peccata, tam in ordine supernaturali quam naturali. In supernaturali amittit Deum, indeque omnia gratiae bona; in naturali vero propriam vitam, honorem et omnia, quae habet homo; et tandem sola peccata sunt pabulum et nutrimentum inferni, qui tamen adversus animas innocentes nihil facere praevalet.

b. — Abulensis supra illa verba: *Cum non haberet unde redderet*, ita scribit: « Non habet unde solvat, quia non habet per quid se liberet. Potest enim homo per seipsum cadere, sed nemo per seipsum potest a peccato resurgere, sed gratia indiget suscitante. Sic dicit Remigius: Suae sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere valet; et non habet unde reddat, quia nihil per se et in se invenit per quod se a peccatis absolvat. » S. Anselmus super eundem textum ita scribit: « Quia ex seipso habebat unde in culpam caderet; sed ex seipso non habebat unde ad veniam resurgeret. » S. Augustinus quoque hanc habet considerationem, inquit: « Idoneus est homo ad vulnerandum se; nonquid idoneus est ad sanandum se? Quando vult, aegrotat, non quando vult, surgit. Ut jaceret aegrotus, intemperantiam suam habuit necessariam; ut surgat autem, necessariam habet artificis medicinam. » Sic ergo, ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad

« peccandum; ut justificetur, non sibi sufficit nisi ab illo justificetur, qui solus est justus. » Clarus etenim est sequens Osee, xiii, 9, textus: *Perditus tuus es te, Israel; tantummodo in me auxilium tuum*.

VERSUS 26.

Procidens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Procidens autem servus ille.

1. — Ex quo debitor ille tot millionum debito se oneravit, ipsum magna cum pompa et fastu vixisse, credere juvat; ideoque hic humilioris actus, tanto magis in ipso est admirandum; unde S. Thomas ait: « Commendatur ejus humilitas, quia procidens; » respicit in orationem humilium et non sprevit precem eorum. » Salmeron quoque hanc humilitatem observat, dicens: « Quemadmodum superbia initium est omnis peccati, ita initium justificationis, humilitatio est. »

Orabat eum.

2. — D. Chrysostomus hanc debitoris supplicam considerans, ad orationis valorem ponderandum nos invitavit, dicens: « Audiamus, quotquot ignavi sumus ad preces, quanta sit obsecrationis vis; » non jejunium ostentavit, non ultroneum paupertatem, non aliquid hujusmodi, sed nudus omnis virtutis, ubi se ad obsecrandum convertit, eo solo potuit Dominum ad misericordiam pertrahere. » **3.** — S. Antonius Paduanus tria considerat, quae peccator, post contractum infinitum peccati sui debitum apud Deum, creditorem suum, facere debet: « Ecce quod interim debet facere peccator, dum vivit; nota ista tria; *procidens* dicitur cadere; « cadit, qui vere conlertur; *rogare*, est humiliter et devote aliquid postulare, confessio debet esse humilis et devota: *omnia reddidit*, qui pro omnibus bus satisfacit, ut poena respondeat culpae. »

Patientiam habe in me.

4. — Lucas Brugensis hoc loco quaerit, qua ratione debitor iste, summa adeo excessive, se successu temporis satisfactorum promittere poterit: « Non habebat, » inquit, « unde redderet et unde speraret, se posse reddere, et tamen pollicebatur, se omnia redditurum. » Respondet autem, totum fundamentum hujus presumptionis, immensum hoc debitum solvendi, regis sui fuisse clementiam: « Cognoscebat, » inquit, « Domini sui clementiam, qui placatus humilitatis officii, omnia facile condonaturus esset; illam utique Domini patientiam ac magnitudinem, instar optimae solutionis sibi fore ducebat, praeter conatum promptamque voluntatem, quam ipse exhibiturus esset. »

5. — S. Anselmus de ea, quam a divina misericordia postulamus, peccatorum remissione, hæc verba intelligit, q. d. « Peccatis meis parce; » vel, ut Dionysius Carthusianus pariter ait: « Emendationem et satisfactionem meam clementer exspecta, nec statim me damnes, sed æterna supplicia in temporalem penam commuta. »

6. — Possunt quoque hæc verba intelligi quasi ad Filium Dei directa, qui per passionem suam, peccatorum nostrorum debitum exsolvitur erat, ut sensus sit: *Patientiam habe in me*, id est, pro me; cui etiam glossæ Salmeron adhæret, dum ait: « Modus, quo quis omnia reddit, est, Deo patiente et patientiam habente, quo pro nobis in cruce a Deo satisfecit, nam in persona Christi ait Job, vi, 2: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera*, » scilicet crucis, *quasi arena maris hæc gravior appareret.* »

Et omnia reddam tibi.

7. — Paulus de Palatio ad hunc debitorem se convertens, eum interrogat: « Unde tibi pauper decem millia talenta? si te tuaque vendas, nihil es, vermis es, homo non es; et si peccator es, nihil es, unde igitur tanta tibi solvendi fiducia? » demum vero modum, quo prudens hic et providus debitor usus fuit examinans, inquit: « Sed profecto eleganter ipse dixit: *Patientiam habe in me, et reddam omnia tibi*, quia ex inimico sibi Deum a amico facere cepit; reddere etiam ei omnia cepit: patientiam igitur habe in me, gratiam inveniam apud te, et incepti omnia tibi reddere; » si enim amicus mihi fueris, quid non acceptabilis in pretium debitorem? calicem aquæ frigidæ pro magna solutione recipies; » minimus enim sanctificantis gratis gratiæ gradus, unicus veræ contritionis actus, vel una amoris Dei scintilla, ad delendum non modo decem millium, verum etiam centum millium millionum talentorum, id est, innumerabilium et enormissimorum anime vere penitentis peccatorum debitum delendum abunde sufficiunt; unde Chrysologus, *Serm. XLIV*, ait: « Tenere militiæ, delicati conflictus est, amore a solo de cunctis criminibus reportare victoriam. »

8. — Dionysius Carthusianus hæc verba peccatori adaptari posse dicit, qui per bonam vitæ emendationem, divinæ justitiæ integre se satisfacturum esse promittit, q. d. « Pro universis peccatis meis a satisfaciâ tibi, et sicut te inhonoravi male agendo, ac bona debita omitendo, ita te honorabo a bene vivendo, et bona neglecta recuperando. »

9. — Experientia docet, nos in periculis constitutos multa elicere vota, promissa et juramenta Deo et Sanctis ejus, hoc tantum fine, ut subterfugiamus illa; ita Antiochus Rex egit, quantam enim non præ se tulit pietatem, et cultus ecclesiastici zelum, quando divinæ justitiæ flagellis exceptus

fuit? « Hic mos est debitorum, » inquit Chrysostomus, « ut in summa inopia promittant, tantum a quod præsens periculum elahi possunt; » ut hoc vel illo beneficio frui possint, plurima adducere norunt effugia atque excusationes. Contingit quandoque, impium etiam peccatorem et flagitiosum nimis, tempus a Deo obtinere penitendi et respiciendi, illudque ad veniam et reconciliationem efficaciter impendere, sed in eo totus consistit punctus, ut tale penitentiæ spatium consequatur, et bene eo utatur, contra quod multi faciunt, quorum miseriam Guerricus Abbas hisce verbis deplorat: « Sic nullus fere est, qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitalem dies una. » S. Bernardinus inquit: « Modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, gloriam. »

10. — S. Thomas super Mattheum scribens, plurimos observat in hoc debitore virtutum actus, dum ait: « Commendatur ejus humilitas, item discretio, item justitia: humilitas, quia proci-dens; discretio, quia non petit totum sibi dimitti debitum, sed tantum petit tempus, unde dicit: *Patientiam habe in me*, id est, da mihi tempus, ut possim satisfacere; Item tangitur justitia: *et omnia reddam tibi.* »

11. — Paulus de Palatio facilem nobis omnia debita nostra exsolvendi methodum tradit, inquit: « Si homo se Deo reddit, omnia fere reddidisse videbitur: sapienter Deus ab homine petit, cum dicit: *Fili, præbe mihi cor tuum*; et enim si præbeas, cuncta præbuisse videberis. »

12. — Idem quoque auctor in hoc debitore peccatorem figurari considerat penitentem, qui emendationis et penitentiæ cupidus vitæ et mores perversos in melius mutare statuit, qui omnia priora gratiæ dispendia, scelerumque mala integre resarcire potest, si nimirum omnes imposterum actiones suas in debitorem contracturum ordinet solutionem: « Illo audaci verbo docuit, » inquit Auctor, « quo animo esse debeat in Deum homo a penitens, videlicet vir vere penitens, verique proponens male actam vitam corrigere; decernat in pectore suo, quidquid edat, bibat, dormiat, vigilet, omnia in gloriam Christi facere; » ita namque verificatur illud: *Omnia reddam tibi*. Proposito nostro favisse crediderim in Canticis Cantico-rum, vii, 3, Sponsam, anime electe figuram, dum coleslem Sponsam suam ita alloqueretur: *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*; pro fructus enim novos intelligere possunt opera bona, quæ divinæ gratiæ virtute adimplentur, quæ in lege nova Evangelica plurimum abundant, videlicet misericordiæ opera, jejunia, austeritates corporales, communioniones, et similia. Pro poma vetera designari possunt hereditaria corrupta naturæ nostræ exercitia, quæ dicuntur indifferentia, v. g.

edere, dormire, studere, laborare; vult igitur anima ista, per Sponsam figurata, dicere, quod omnes operationes et actiones suas, licet alunde nullius in seipsis sint meriti, nihilominus ad Dei gloriam ordinet, cum bonæ intentionis rectitudine, vi cujus aliquem saltem valorem obtineant apud Deum.

Additiones.

a. — *Procidens autem servus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me.* Hoc legitimum est peccatorum remedium si se pedibus Dei prosternant, peccatorum suorum veniam deprecantur, divinæ se committentes misericordiæ, cujus exemplum præbet hic servus debitor, qui in magno multorum talentorum debito deprehensus, tamen andax rogat: *Patientiam habe in me.* Unde iniquo servo tanta præfidentia, ut herum sibi iratum precibus aggrediatur, et bona spe credat flecti posse ad pietatem? Agnoscebat enim servus herum suum esse Deum, natura bonum et piæ, flectique facilem, magnum et excelsum in misericordiâ, stimulantem eum ingenti quem erga hominem gerit amore. Amor enim Dei sive ut Dei erga nos, sive ut noster erga Deum, debita peccatorum remittit.

Argute Idiota, *cap. xvi*, observat quod tametsi Magdalena multa Christo præstitit obsequia, pedes ejus lacrymis abluendo, capillis terendo, ablutisque et detersos pedes pretioso unguento unguendo, multosque virtuosos et heroicis actus in corde suo excitando: « Tamen istis non tribuitur remissio, sed soli dilectioni, quia sine dilectione parum valuisent. » Verumtamen presenti nostro proposito magis deservit, quod Cajetanus notavit, nimirum quod non dixerit: *Dilexit multoties*, « ut inde discas non oportere ad delendum centum peccata, exigere centum actus diligendi, quoniam semel diligere multum, delet innumerabilia peccata. » Sicut enim unicus duntaxat gratiæ justificantis gradus, pro infinita peccatorum summa diluenda sufficit; ad eundem quoque modum, unicus duntaxat veræ charitatis et divini amoris gradus ad eandem debiti qualitatem liquidandam sufficit.

S. Petrus cui collata fuit peccata remittendi summa potestas, facillimum hujusce condonationis modum nos docet, dum ait, *I Epist.*, iv, 8: *Ante omnia autem mutuum in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Esto quod aliquis, ad gulam usque sit peccatis immersus, gravisque Dei inimicus existat, atamen ut talis plenam peccatorum suorum veniam consequatur, unicum amare sufficit. Unde Idiota ait: « Tua immensa dilectio usque ad inimicos se extendit, nulli te negas, nullum spernis, sed omnes manu amica vocas et recipis, nisi per peccatum a te invito et nolente contumaciter et

inobedienter recedant. » Ex parte nostra stat omnis defectus, si hanc indulgentiam non assequamur, siquidem in sententia S. Augustini certum est quod « Charitas sit mors criminum et vita virtutum. » Idem Idiota, *cap. v*, hunc nobis effectum indicat, quod scilicet « pestes mentis sanat, » et *cap. xvi*, dicit: « Non est peccatum quod dilectione tua non remittatur, non macula tam fœda, » tenax ac etiam inveterata, quæ tua dilectione et « amore non dissolvatur. »

b. — Hæc ordinaria est cantilena peccatoris ante pedes confessoris: *Omnia reddam*, omnia emendabo, firmiter propono; et tamen pauci propositum servant, quod ad remissionem peccatorum confitentibus necessarium est; et præter hoc, ea est multorum impudentia, ut Dei patientiam cognoscentes, nimium concedant verecundiæ quæ eos a graviorem peccatorum confessione abstrahit.

Inter alias bonæ confessionis circumstantias, vult S. Bonaventura, ut sit *parca*. Hæc autem juxta ipsum in eo consistit: « Il in confessione tua intendas dimittere et emendare peccata tua, et facere de cætero, quod Deo placet. Si ergo ante Pascha, confiteris, quod tamen post intendas facere, sicut ante, vel si in infirmitate flagellatus a Domino, non intendis, si evaseris, Dei placitum facere, sed tum; tunc tua confessio impura est. » Porro propositum nostrorum valde et perfectum, variis ex indicibus dignosci potest; sed nimirum quidem signum esse poterit operatio.

Ecclesiasticus, *cap. iv*, 25, ita dicit: *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam.* Per hanc sententiam eos erudire et a gravi liberare satagit errore, qui verocundia præventi, suos subterfunt defectus in confessione; cujus vitii enormitatem nobis ob oculos ponit S. Petrus Damianus inquit: « Nihil fortius ad expugnandum gratiam Dei, quam timor humanus, quia dum erubescimus confiteri, quæ commisimus, Deum minus quam homines reveremur. Hæc est confusio adducens peccatum. »

c. — « Valde confidenter promittebat iste satisfactionem operum, quia novit per penitentiam applicari sanguinem Christi, » inquit hic Palatinus, « qui cum sit infiniti valoris, profecto omnia talenta valet. » Non mirum quod iste servus, quamvis valde pauper esset, et multum pecunie deberet, tamen confidenter dicat se omnia reddidit; pollicebatur enim se Redemptoris corporis et sanguinis participem fieri, indeque elsi extrema degeret paupertate, confidenter tamen sperabat, se decem millia talentorum persolviturum; qui enim hoc sacratissimo edulio reficitur, omnibus gratiarum divitiis abundat, ut omnia talenta valeat exsolvere.

Sancta Mater Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata, hunc habet peculiarem ritum, quod quando